

* merum . . . imperium ac * iurisdictionem * in omnibus . . . Treverensis, * que iurisdictiones . . . omnibus et singulis, * cuiuscumque . . . ne prefatos archiepiscopum, eius successores et ecclesiam in dictis mero et mixto imperio ac iurisdictione eorumque libero . . . iuribus et attinenciis universis ad easdem iurisdictiones pertinentibus perturbare vel quovis modo impedire presumant.

XIII. Hofgerichtsverfahren.

K 46 XIII: (1) Item volumus et in perpetuum concedimus eidem Baldewino archiepiscopo Treverensi et suis successoribus, quod de nobilibus, vasallis, castrensibus, ministerialibus et subditis eiusdem ecclesie Treverensis et de eorum feodis simplicibus, ligiis vel castrensibus necnon super bonis ac questionibus ecclesiam Treverensem aut eius subditos tangentibus secundum iura, modum et consuetudinem iudicii aule imperialis vel regie citare, terminos statuere, iudicare et sentenciare ac alios actus iudiciarios exercere per se et suos fideles habeant atque possint, * cum expediat, quod membra secundaria suo principali membro, hoc est suo capiti, se conforment, nostris et imperii iuribus semper salvis.

(2) Eo specialiter observando circa citationes faciendas, quod prima die notificata alii dies seu termini per se et ex consequenti veniant, ita quod super aliis terminis seu diebus post primam aliqua notificatione speciali seu insinuacione non sit opus.

(3) Item ut lites et iudicia eo celeriore finem, prout rationi et iuri congruit, sorciantur, volumus, statuimus et ordinamus: cum aliqua causa seu questio coram dicto archiepiscopo vel suis successoribus et eorum vasallis seu fidelibus fuerit ventilanda, sive hoc sit inter ipsos archiepiscopum et eius successores pro una parte et aliquem vel aliquos de vasallis ex altera sive inter vasallos mutuo et pro utraque parte, quod quilibet vasalli dictorum archiepiscopi et successorum eius et ipsorum ecclesie Treverensis possint esse citantes, iudices et prolocutores seu advocati, etiam si causa vel questio huiusmodi liberos seu ingenuos vulgariter dictos fryen respiciat vel contingat; quodque archidyaconi et alii prelati vel clerici feodum a prefato archiepiscopo vel eius successoribus obtinentes preterquam in causis sanguinum ac etiam castrenses et ministeriales una cum aliis vasallis ipsius ecclesie Treverensis sentenciare seu sentencias super quesitis dicere valeant et proferre, cum de ipsorum et specialiter dictorum prelatorum et clericorum fidei puritate et, quod nil aliud, quam quod iustum et rationi consonum fuerit, proferre debeant, sit pre ceteris merito presumendum; et quod super sentenciis